Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35185
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar



Increpatio Galieni

Nunquam enim cervus saliens in montibus altis
Supplicat atque petit qualia stulte petis
Si te maiores si te qui nobiliores
Talia nulla rogant tu quid inepte rogas
Nil lepus aut ursus caper aut capra damula cervus
Causant caude de brevitate sua
Nunquam es hijs melior maior vel sanctior unus
Et tamen hijs brevior quam tibi cauda manet
Nobile corpus habes non sit tibi cauda pudori
Nam si cauda brevis est tibi grande caput
Non brevis est adeo quod non alijs breviorem
Esse liquet satis est ergo remissa tibi
Quod minus est caude capitis sub plebis honore
Non decet ut fiat illud et illa paris
In tytulo caude francorum rex ludovicus
Non te precellit pontifices quoque sui
Firmiter ergo tene quod habes quia conditionem
De facili posses dampnificare tuam

De angustia bicornis

An nescis vaccis quid contigit in quoque duabus
Quas puer aspexi patris in ede mei
Altera bruneta fuit altera dicta bicornis
Sed nigra bruneta flava bicornis erat
Contigit has igitur hyemali tempore quodam
Nocte retardatas non redijsse domum
Per vada transibant limosa lutosaque repleta reddebant
Pascua cum peterent cottidiana sibi

169v